Rinteln. University.

Thesis by Wischmann. 1751.

Rinteln. University.
Thesis by Wischmann. 1751.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SCORBVTO

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE HAEREDITARIO AC

DOMINO

DN. FRIDERICO

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQVA

PRAESIDE

D. IO. HERMANNO FüRSTENAV

ORDINIS MEDICI SENIORE EIVSDEMQVE PRIMARIO

OECONOMIAE QVOQVE PROFESSORE

FAC. MED. H. T. DECANO

PRO LICENTIA

CONSEQVENDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI

HONORES

D. XXIX. OCTOB. CIↃIↃCCLI

H. L. Q. S. 1751

ERVDITORVM EXAMINI EXPOSITAM

PVBLICE DEFENDET

IO. BENEDICTVS GERH. DE WISCHMANN

LIVONVS

MEDICVS PRACTICVS HAMBVRGENSIS.

RINTELII TYPIS IOH. GODOF. ENAX A. T.

Q. B. V.

I.

Morbos qui dari nouos et veteribus incognitos contendunt, tum luis venereae, ſudoris anglici, febris pannonicae, petechialis, miliaris vtriusque, purpurae albae et rubicundae alias dictae, variolarum, et morbillorum, ſpasmorum, et polyporum, tum ſcorbuti inprimis exemplo vti ſolent; quos quippe á Graecis, Arabibus et Latinis ſcriptoribus vel plane non notatos, vel leui ſaltem penicillo et obſcure deſcriptos eſſe, audacter affirmant. Hos vero ſicut vera morborum hiſtoria, qua, quae ab antiquiſſimis autoribus conſignatae proſtant obſeruationes cum iis per omnia conueniunt, quas poſteriorum temporum medici annotarunt, et quae nobis hodieque ita euenire ſolent, magno certitudinis medicinae argumento, erroris facile coarguit: ita ingens quod circa aetatem regionem temperamentum, victum et vitae genus vbiuis terrarum et nullo non tempore notatur diſcrimen, quo fit, vt alio tempore, aliisque in locis alii aut frequentiores aut rariores occurrant morbi, eosdemque modo plura et grauiora, modo pauciora et mitiora comitentur ſymptomata, errori occaſionem dediſſe videtur. Accedit et illud, quod qui noui quondam viſi ſunt morbi vel ob autopſiae anatomicae defectum veteres latuerint, vel aliis ſubinde nominibus inſigniti

in eorum monumentis descripti reperiantur, id quod cum de reliquis ab aliis dudum praeclare ostensum, tum de scorbuto, de quo nobis paulo fusius agendum erit, sigillatim manifestum est. Enim vero vox ista neque latina, neque graeca, sed ab inferioris Germaniae incolis mutuata est, quibus audit Sihör-bock vel Schor-buyk quasi ruptura ventris vel ad crepaturam extensus ventris dolor. Rem tamen ipsam ab HIPPOCRATE dudum sub magnorum lienum vel et voluuli haematitis denominatione esse descriptam, ex libro eius de internis affectionibus, et de praedictionibus, aliisque locis, abunde patet. Hunc deinde CELSVS, vt solet, fideliter imitatus „quibus magni, inquit lienes sunt, his gingiuae malae sunt, et „os olet, aut sanguis aliqua parte prorumpit. Quorum si nihil euenit, necesse est in cruribus mala vlcera, et ex his nigrae cicatrices fiant. MARCELLVS oscedinem appellat, PLINIVS vero malum hocce olim sub Cæsare Germanico in Germania saeuiisse et a Medicis σκελοτύρβην, et ςομακάκην, a locis quippe affectis, cruribus et oris interioribus, appellatum esse, in Historia Naturali refert, quocum et STRABO in Geographia per omnia conuenit. Haud secus ac REGNERVS SNOY multae eruditionis et exercitatae praxeos medicus gingipedium id vocauit, a gingiuis et pedibus corrupto sanguine infectis, vt est a P. FORESTO memoriae proditum. Plures hinc iidemque vsu et exercitio artis non minus, quam doctrina praestantes medici effectum hunc dignum iudicarunt, quem vberiori commentatione et luculentis

Sect. 34. n. 2.

L. II. c. 7.

L. XXV. c. 3.

L. XX. obs. XI. schol.

tis obſeruationibus illuſtrarent quo nomine EVGALENI, BRVCAEI, B. BRVNNERI, DRAWITZII, SENNERTI, WIERI, SAL. ALBERTI ROVSEI, MARTINI, ECHTII, I. LANGII, WILLISII, CHARLETONI, CONRINGII, CRAVSII, LISTERI, aliorumque egregii labores omnibus ſunt noti. Neque tamen dubitamus, poſt tantam aliorum meſſem aliquod nobis ſpicilegium eſſe relictum, in quo ingenii experiri vires vtile pariter ac iucundum, neque a praeſentis aeui conditione alienum viſum eſt.

II.

Scorbuti appellatio non in ſcholis tantum medicorum, et coram aegrorum lectis, ſed et in vita communi ita paſſim inualuit, vt illum pro morbo, aut cauſa morborum vniuerſali plurimi praeiudiciis occoecati venditare non dubitent, hinc audita paſſim nomina paralyſis, arthritidis, aſthmatis colicae, febris, cachexiae ſcorbuticae, cognomine ſuo, ſicut autoribus ſuis videntur, cauſae originisque ingenium teſtantia. Quam in rem P. MALEBRANCHE quid ſentiat, hiſce declarat verbis: „Morbus quidam nouiter oritur: tantas efficit calamitates, vt „omnes obſtupeſcant. Res adeo inſolens tam alta „cerebro inprimit veſtigia, vt morbus ille menti „perpetuo obiiciatur. Si morbus ille dicatur e. g. „Scorbutus, tum omnes morbi erunt ſcorbutus„ et quae ſequuntur plane egregia L. de inquirenda veritate. Scorbuti enim vocabulum a recentioribus ſcholis nimis late extenditur, et fere ſicut apud Ariſtotelicos iuſtitia vniuerſalis complexus eſt omni-

L. II. c. 2. p. 115.

um

um virtutum; ita scorbuti nomen apud multos neotericos tantum non omnes morbos suo ambitu comprehendit vt apposite scriptum legitur in lectissi-
1702. p. 83. ma Morborum Vratislauiensium Historia. In eandem sententiam G. KLAVNIG, illustris et ipse Vratislauiensium Medicus in Nosocomio Charitatis „ parum,
XX. p. 86. „inquit, certe abest, quin tota morborum cohors „nonnullis sub generalissimo scorbuti conceptu ve„niat, sub quacunque mundi plaga originem ducat „insidiosus hospes. Non sufficit distinctio in cali„dum et frigidum, meridionalem et septentriona„lem, sed et icterus, hydrops, quartana et centeni „alii morbi, inprimis qui cutis vitia monstrant, scor„buto parere vulgo dicuntur.„ CORNELIVS certe BONTEKOE, STEPHANVS BLANCARDVS, P. BARBETTE,
diss. Erfurt. 1729. Herborn. 1694. OVERCAMPIVS, et qui eorum castra sequuntur scorbutum cum H. P. IVCHIO pro summo morborum et causarum morbificarum genere, aut cum I. B. GLADBACHIO in praxeos medicae idea nouissima pro quarta morborum parte venditant. Prae reliquis vero borealibus in regionibus endemius et locis maritimis inque primis mari balthico et germanico vicinis infestus esse creditur scorbutus, quamuis nec Italiae Galliaeque oras maritimas ab eodem immunes iudicet omnem scorbuti historiam fusius persecutus doctissimus I. N. PECHLINVS verbis pone sequentibus: „Vt autem Italiae Galliaeque orae ma„ritimae et ipsae falsugine aëris non careant, tamen „in calore illo fluidoque volatili partium fermento„rumque temperiem magis conseruari credibile est,

atque

„ atque impediri, ne in habitum ac intetriora textu- L. I. obſ.
„ rae ſalſedo debachetur. Quicquid eſt, notaſſe vi- LXVII.
„ deor, ſi non ſcorbutum, at certe affines ei morbos
„ in Italiae quoque vrbibus quae mari praetextae ſunt,
„ regnare; ſane ſeri paulo acrioris copia alibi loco-
„ rum valde eſt ſuſpecta. Luſtranti enim mihi tra-
„ ctum Italiae maritimum, qui mari hadriatico
„ adiacet, ab aëres fluidi marisque ſalſa atmosphae-
„ ra plurima illis naſci incommoda ſcio, et nullam
„ fere eſſe vrbem, quae non peculiari affectu ſal-
„ ſo catarrhali infeſtetur, hic in pedum vlcera,
„ morbumque coxendicum, hic in pleuritides et
„ phtiſes, alibi in ophtalmias, epilepſias, aliaque
„ morborum monſtra deſinente fluore ſalſo lym-
„ phatico, quae in noſtris quidem plagis a ſale ſcor-
„ butico oriri plurimi noſtrum aſſerunt. „ Quic-
quid vero eius ſit, non deſunt ex aduerſo, qui, ſi
non exiſtentiam ſcorbuti prorſus in dubium vocant,
eius tamen frequentiam immerito accuſari, exiſti-
mant. In his M. ETTMVLLERVS diſertis fatetur ver-
bis, ſcorbutum non tam frequentem eſſe morbum,
quam vulgo haberi ſoleat. THOMAS quoque SY-
DENHAMIVS licet nullus dubitet, quin ſcorbutus in oper ed.
plagis borealibus reuera inueniatur, tamen morbum Amſtel.
non tam frequentem, quam fert vulgi opinio, oc- p. 263.
currere perſuaſum habet. MICHAEL vero ALBERTI
ſcorbutum Daniae ſigillatim non eſſe endemium diſſ. Hal.
contra communem et receptam paſſim opinionem 1731.
peculiari eoque egregio oſtendit labore, quem S. PI-
PER, Archiater hodie Regius Hafnienſis eiusdem
praeſidio defendit.

III.

III.

In tanto ſententiarum diſcrimine, vt quid res eſt, dicamus, notandum, ſcorbutum in ſenſu latiori acceptum quamuis ſanguinis impuritatem et labem denotare, et morbum hac ratione frequentiſſimum conſtituere iis, qui ſcorbutum vbiuis crepant, cum quodlibet oris vitium, quaeuis crurum imbecillitas tumores, maculae et exanthemata, haemorrhagiae dolores et ſpasmi varii generis ad eundem ceu communem morborum fontem et originem referantur, cuius quidem rei Cardinalis Quirini illuſtre noſtris temporibus exemplum ſuppeditat, qui dentium et gingiuarum vitio, hinc et pedum tumore laborans conquiſitis vndique conſiliis medicos malum pro ſcorbutico habentes propria confiſus experientia refellit, aliumque morbi fomitem indigitat, ſicut Novellae publicae, vt et commentarii de rebus Card. A. M. Quirini qua recitantur Reſponſa et Conſilia praeſtantium medicinae doctorum fidem faciunt; vel et aſylum et pallium ignorantiae formare, quando ſymptomata vulgo vel medicis ignota ſcorbuto acceptis feruntur, ex alio licet fonte rectius derivanda; vel denique vagae libidinis et foedae luis venereae velamentum in eodem quaeri, quando ſymptomata lui huic propria a ſcorbuto haud infrequenter arceſſi, aut cum eodem turpiter confundi animaduertimus. Vtriusque vero morbi, ſcorbuti et luis venereae differentia non niſi ex ſollicita circumſtantiarum comparatione eruenda eſt, cum varia inter ſymptomata contagium vtrique morbo com-

commune ſit, neque ad amoliendam abominabilis a venere morbi ſuſpicionem nota forſan probitas, neque iurata fides ſufficiat; videtur enim ad medicos decipiendum quaſi factum illud aegrorum genus, quod iouem ſolet iurare lapidem, ſe furtiuos nunquam ſecutum iouis amores, cum tamen deinceps aegritudinis euentus omnia edoceat alia, ſicut pulchre animaduertit illuſtris quondam HEVCHERVS, quando cautiones ſuggerit in cognoſcendo curandoque ſcorbuto neceſſarias. Vtriusque vero huius morbi, luis inquam venereae et ſcorbuti differentiam cum nemo rectius et ſecundum potiora momenta delineauerit, quam meritis ſuis immortalis STAHLIVS, illud ex hiſce relinquitur, et apud intelligentes quoslibet in confeſſo eſt, verum ſcorbutum ſtrictiori ſenſu acceptum, et gingiuarum putredine, foetore atque exulceratione, artuumque maculis vel paruis ſubnigris vel maioribus purpureis violaceis, ſubliuidis, tanquam ſignis pathognomonicis notum affectum in his ſaltem oris a mari longius remotis, quin et maritimis rariſſimum, et ſolis forſan nauigantibus, ob aquae dulcis et panis recentis defectum, cibosque reliquos ſitu corruptos quaſi proprium vel et in extremo ſeptentrione ob frigus immodicum, quo coagulum humoribus vitalibus inducitur, ſubinde obuium eſſe.

c. I. p. 7.

diſſ. Hal. 1706.

IV.

Id quod vt clarius conſtet, cauſarum ſeriem ſcorbutum producentium enarrare iuuabit. Et proximam quidem morbi cauſam nonnulli quidem in

qualitatum intemperie, et hinc vitiata ſanguinis textura, plures in ſanguine peregrini atque eccentrici ſalis, vel acidi, vel alcalini, vel ſalſi et muriatici miſtura corrupto quaerunt. Haec vero intemperies, vel ſi mauis dyſcraſia humorum, ſicut digeſtionibus et functionibus reliquis turbandis miniſtrat, ita ab hiſce vitiatis humores a ſtatu naturali magis magisque deſciſcunt, et indolem peregrinam induunt. Haec vero vti in circulum manifeſto abeunt, ita pleonasmus, eidemque coniuncta ſpiſſitudo humorum vtrique occaſionem frequentem ſuppeditare ſolent, accedente praeſertim haereditaria, aut quavis alia diſpoſitione, qua cauſae remotiores proximas, haeque morbum ipſum producere aptae ſunt natae, quo nomine excretiones ſanguinis per menſes, haemorrhoides, aliasque vias ſolitae impeditae vno ore ab omnibus rei gnaris merito accuſantur. Quid vero vulnera et haemorrhagiae ab iisdem inflictis concitatae, hinc vero emanentes aut ſuppreſſae vna cum reliquis diaetae erroribus ad producendum hunc morbum valeant, pulchre iterum delineatum occurrit in elegantiſſima morborum Vratislavienſium hiſtoria, his conceptum verbis: „nusquam profecto viuam magis ſcorbuti imaginem „ ſpectare nobis licuit, quam in militibus, vt anceps „ belli alea fert, vulneratis ac mutilatis, quos dura egeſtas ad bellum inidoneos non ſine nationis germanicae opprobrio oſtiatim ſtipem petere cogit. „ Hi quemadmodum in caſtris quondam inſalubribus ac interdum putridis cibis ac aquis corruptis

l. c.

in

„ in aëre vliginoſo vitam ſuſtentarunt: ita cum
„ truncati caſtra amplius ſequi non valent, paſſim
„ in pagis et oppidis palabundi latrantem ſtoma-
„ chum vili pane, lardo rancido, piſcibus lacuſtri-
„ bus, lentibus, piſis, fabis, coepis, braſſica muriati-
„ ca, halecibus etc. placant. Dum autem ita paſſim
„ oberrant, priſtinarum ſanguinis euacuationum ſi
„ non ex vena phlebotomo aperta, certe tamen vul-
„ neribus illatis et immemores ac ſecuri ſenſim ſcor-
„ butum contrahunt, peſſimam, vt monuimus, diae-
„ tam obſeruando. Et ſicut motus ſanguinis per venam portae impeditus, ſpasmis et doloribus hypochondriacis et hyſtericis ſub paſſionis ſcorbutico colicae et iliacae titulo a DRAWIZIO von dem Schmertzmachenden Scharbock notatis, et luculentis exemplis illuſtratis; ita ſeri excretiones ſuppreſſae aut turbatae ſpasmis et doloribus arthriticis, rheumaticis vel etiam exanthematibus variis frequentem praebent occaſionem. In nauigantibus ſigillatim non tam ſalſugo maris in aërem eleuata, quam aër vaporibus humidis refertus, vna cum aquae dulcis et panis recentis et ſimilium alimentorum defectu accuſandus videtur, haud ſecus ac loca ſalinis fontibus ditata in quibus ſal culinare ignis ope excoquitur, non tam ob ſalis ſpiritum acidum imaginarium in aere oberrantem quam ob vapores in aërem copioſe eleuatos eundem turbidum reddire hunc vero febribus, catarrhis aliisque morbis in diſpoſitis excitandis velificari conſtat. Poſt rigidam vero hyemem 1729. quando noſocomia Pariſienſia

tit. VIII.

 ſcorbu-

ſcorbuticis aegris plus ſolito adimpleta, ex millibus vero vix triginta mortuos eſſe, reliquis ſine dubio aëris verni et caloris externi beneficio refocillatis, nouellae publicae fidem fecerunt, facile hinc ratio petenda, cur in extremo ſeptentrione, vbi frigore conſtricta horrent omnia, ſcorbutus ſummam exerceat tyrannidem, conſtrictis nempe poris et viis, coagulatis humoribus et necroſin expertis partibus omnibus in vitali ante et inteſtino et progreſſiuo motu, quem calor externus et fouet et ſuſtentat, et conſequitur, conſtitutis.

V.

Ad cauſas remotas reliquas varii diaetae errores, tantoque iuſtius referuntur, quanto maior eorum cumulus in eodem ſubiecto ad producendum, aut exaltandum affectum praeſentem concurrit, exemplo nauigantium rem omnem manifeſtante, quippe qui variis aëris iniuriis perpetuo expoſiti, neque in victu modum decentem ſeruare, neque motus et quietis, neque ſomni aut vigiliarum tempora debitis interuallis diſtinguere, neque excretionibus naturalibus vt par eſt vacare, ſi velint poſſunt, variis proinde animi pathematibus afflicti, et cauſis omnibus ad inferendam corporibus ſuis perniciem conſpirantibus indeſinenter expoſiti. Quando vero victum durum, et acidis ſalſis ac fumo induratis conſtantem vno ore accuſari deprehendimus, vt loca alimentis eiusmodi frequentata ſcorbuti prae aliis feracia cenſeantur; ſola experientia, optima rerum magiſtra docemur, homines victui duro ſal-

ſo et acido adſuetos in reliqua diaeta ſobria, et potu congruo, vitaeque mobili genere ſanos plerumque robuſtos, et vegetos laetosque prae reliquis degere. Sola experientia conuictus magnus alioqui ſcorbuti patronus illuſtris PECHLINVS ſequentem ſcribit in modum. „ Reperias tamen, qui in atmosphaera tam l. c. p. 170.
„ ſalſa diaetaeque vitio enormi tam valido fermenti
„ elatere vt ſic loquar, et incorrupto ventriculi men-
„ ſtruo ſunt armati, vt dura quaeuis, viſcida et ſal-
„ ſa ſine vllo incommodo digerant, inque vnum di-
„ verſiſſima omnia contrariaque colligant chyli ſa-
„ porem. Sunt ſane etiam in ſeptentrione gentes
„ in aurae illa ſalſugine diaetaque ſalſa et dura for-
„ tisſimae, tolerandisque vitae incommodis quam
„ idoneae, nullis fere morbis, minus vero ſcorbu-
„ to obnoxiae, vt in illis, qui ſinui Botnico propin-
„ quo agunt, Finnis, Eſthonibus, Gothis, aliisque
„ apparet. Scilicet ob maris ſinuumque opportuni-
„ tatem magna illis ſali torum piſcium carniumque
„ copia, maior etiam ingluuies, vbi contra, qui mon-
„ tana et nemora incolunt Lappones caſeo, lacte
„ tandem et carnibus Rangiferorum, aliqui etiam
„ ſine ſale, contenti ſi cum illis conferantur, debi-
„ les ſunt, cauſarii, male habito corpore, etiam pe-
„ regrini aëris minus patientes, adeo his fermen-
„ tum contigit non admodum efficax, ſed lacte ipſo,
„ molliorique cibo effeminatum. Iam vero etiam in
„ mediis plagis ſcorbuticis, vbi endemius eſt ille
„ morbus, vidi nonnullos tam validos vt ventricu-
„ li fermento archeoue igneo dura omnia et ſalſa,

„ etiam aurae atque ingluuiei pericula facile su-
„ perent, frequensque in illa infectorum turba con-
„ tagium generose sp ernerent.

VI.

Ex quibus vt sicut scorbuti stricte et proprie dicti et reuera talis raritas sole meridiano clarius innotescit, nam et scabies, quae pro sobole scorbuti communiter habetur, corpora ceteroquin sana contagii ministerio in vadit, foeda vero et rebellis luem plerumque veneream fomitem fontemque agnoscit, et purpura s. d. scorbutica ab haemorrhagiis aut molientibus aut consuetis suppressis plerumque originem ducit; ita si qua extiterit, variis incedere gradibus et modo oris interiora, modo artus et totum habitum corporis moleste afficere, et modo his illisue morbis complicatus diuersam induere formam exemplo Arthritidis vagae scorbuticae a
Lipſ. 1663. MÖLLENBROCCIO peculiari labore laudatae, sed et pro hisce aliisque, quae aegros circumstant momentis periculum modo maius et praesentius modo minus iisdem minitari solet. Quamuis enim malum recens et in incunabilis existens nullius videatur momenti, sed remediis congruis obnoxium plerumque deprehendatur, tamen idem inueteratum sanguine et humoribus corruptis, et visceribus a tono deiectis summam aegris perniciem serius ocyusue inferre consueuit. Quae ceteroquin ex pulsu, vrina, lingua, sanguine vena secta emisso, et similibus phaenomenis petuntur indicia, ea vel pluribus aliis praesertim cognatis affectibus, arthritidi, calculo, catarrhis, febribus

bus ſunt communia, vel ita ſaltem comparata, vt ex nullo eorum ſolo et ſeorſim conſiderato, ſed ex ſingulis inuicem collatis vera demum morbi ſigna diagnoſtica et prognoſtica eruenda ſint.

VII.

In medendi methodo ad cauſas inprimis reſpiciendum eſt, quibus quippe remotis et effectum tolli, res ipſa loquitur, experientia confirmat. Has inter cum plethoram ſeu abundantiam ſanguinis cum lentore et ſpiſſitudine eiusdem complicatam primas ducere, ſuperius oſtenſum ſit, facile patet, venae ſectionem debito loco et tempore inſtitutam ingens hoc morbo afflictis leuamen polliceri, quod idem a ſcarificatione prudenter inſtituta et pro re nata identidem repetita iidem reuera experiuntur, horum enim ope praeſidiorum ſanguinis non tantum copia corpori moleſta minuitur, ſed et congeſtiones eiusdem variae ad varias corporis partes, reuulſionis et deriuationis miniſterio a partibus nobilioribus ad extrema magno corporis emolumento deducuntur. Egregia plane ſunt, quae IO. SOPHRONIVS KOZAK in tr. medico de Sale profundioribus ſuis meditationibus chemicis paſſim inſperſit monita de ſordibus ſubcutaneis, et in digitorum pedum interſtitiis occurrentibus, ſubito mutatis dolores podagricos aut antecedentibus, aut comitantibus, idquod T. SYDENHAMIVS proprio eoque luculento confirmat exemplo, indeque ſcarificationem, ceu ſalutarem arthriticis et ſcorbuticis anchoram commendat, quod idem I.F.BAVER, ſcarificationem certum et ſecurum remedium anti-

Francof. 1663.

diſſ. Lipſ. 1732.

tipo-

tipodagricum laudando haud inuita confirmat experientia. Sed et frictiones et balnea et pediluia, et malluuia, et collutiones oris et gargarismata, aqua frigida vel calida, aceto, vino vel vini ſpiritu frequenter de die, et poſt paſtum quemlibet adhibita eidem velificantur ſcopo, ſordibus nempe ſubcutaneis et quae ori, gingiuis dentibus et faucibus adhaerent, mature eliminandis perquam idonea remedia. Et ſi a ſeri forſan acris ad partes varias decubitu malum ortum traxerit, nec veſicatoriis, nec fonticulis opportune applicatis, quam experientia duce promerentur, vtilitas eſt deneganda. Sunt vero qui Chirurgiae infuſoriae in emendando liquorum mundificantium ope, ſcorbuticorum ſanguine ingens pretium ſtatuunt. Sed quisquis oeconomiae animalis fundamentis probe imbutus norit, ſanguinem laudabilem a viſceribus rite conſtitutis elaborari, his vero laeſis aut a tono deiectis omnem in depurando ſanguine operam fruſtra impendi, eosdem haud facile duces ſequetur.

VIII.

Ad remedia ex triplici Naturae regno deſumta et pharmaciae, inprimis ſelectioris, quae chemia audit, miniſterio in languentium vſus confecta praeſidia nunc examinanda progredientes ingentem mox farraginem medicamentorum ſ. d. antiſcorbuticorum offendimus, quo nomine tum amara, tum aromata quaeuis et aromatica, ſale volatili oleoſo praedita, tum vegetabilia reliqua ſimili principio imbuta, naſturtium, beccabunga, armoracia

fuma-

fumaria, inque primis cochlearia omnibus notissima sunt, quibus varia ratione exaltandis et spirituum, oleorum, salium volatilium forma aegris suis propinandis multum insudant quotquot sal fixum viscido implicitum iisdem domandum esse existimant, cum ex aduerso alii cochleariam et similes herbas acetariorum forma assumendas aut cum acetosa permiscendas rectius optato plerumque effectu suadeant, quin et Grönlandos iuscula carnium et ptisanas cochlearia et acetosa condire, indeque laxatiuum et antiscorbuticum admirandum conficere, in ACTIS HAFNIENSIBVS relatum legitur. Ann. I. obs. 9. Quantum vero remediis volatilibus salibus, spiritibus, elixiriis et similibus in cura scorbuti sit tribuendum, celeberrimi quondam Medici et Chemici Lipsiensis exemplo magna fiducia declarat I. G. H. KRAMER in medicina castrensi sequentem in modum differens: p. 81.
„ Dr. Michaël in Leipzig, der der erste chymiae Pro-
„ fessor Vniuersitatis auf der Welt ware, hatte von
„ seinem Landsmann, dasmaligen holländischen
„ Gouverneur in Sumatra das Versprechen einer
„ grossen Summe Geldes, auch noch dazu ein
„ würckliches Capital zu Anlegung und Stifftung
„ einer beständigen Professur in der Chymie zu
„ Leipzig, ja a parte noch etliche 100. R. Thaler
„ baares Geld zum voraus und pro experimentis,
„ dass er ein Medicamentum contra Scorbutum er-
„ finden sollte: er gab sich auch die gröste Mühe
„ von der Welt, allerley spiritus, essentias, elixiria,
„ salia fixa und volatilia, extracte und electuaria, ja

„ gar quintas essentias, wie er sein ol. destill. ex
„ semine cochleariae nennete, zu verfertigen, und
„ schickte solche dinge über meer. Allein es
„ hielte nichts die wahre prob. Enimuero guttas,
quas tam immensis praeconiis diuulgant chemici,
non multum prodesse posse, eo lubentius fatemur,
l. c. quo facilius id credit politissimus PECHLINVS, quod
p. 179. in ventriculi phlegmate magna sui parte attritae halitum duntaxat aliquem in sanguinem tansmittant, cuius vires iam ante debilitatae corrigendae salsugini non sufficiant, aut protinus in illa fluidi peccantis copia opprimantur. Quo eodem loco postquam salia modo alcalia, fixa et volatilia, modo acida cum amaris vinosis et oleosis maritanda, pro diuersitate temperamentorum commendasset, ita
p. 178. pergit: „ Quicquid autem sit, cum modum tenere
„ in illa particularum ignorantia non possimus, tu-
„ tius est et experientiae conuenientius, alia via
„ sanationem scorbuti tentare et medicamenta prae-
„ cipere, quae vtrique sali ex aequo respondeant;
„ nimirum cum salium perinde omnium menstru-
„ um sit aqua inque eam facile se immergant par-
„ ticulae salinae, nihil ad eluendum, vel si placet,
„ elixiuiandum sanguinem conducibilius erit aqua;
„ verum quod illa in plurimis regionibus vitiata
„ est, stomachoque frigore officit, reperta est op-
„ portune thermoposia, quae tamen et ipsa cum
„ corrigendis aquae vitiis sola non sufficiat, medica-
„ tam reddere oportuit, et aliarum rerum mistu-
„ ra correctiorem. Hinc tot elogia theae potus,

„ ther-

„ thermarum, decoctorum ex lignis, quae & fer-
„ mentatione ſecretis fecibus ad ſpuritatem vini ae-
„ mulam redacta fuerint, plurimis aliis faſtum fa-
„ ciunt. Sane niſi talia ſint antiſcorbutica quae to-
„ ta ſanguinis maſſa ſe diffundant, fugientesque
„ hinc inde ſalium particulas abſorbeant, et abſor-
„ ptas in vrinae vias aluumque deponant, vana eſt
„ omnis molitio: adeo multis de cauſis aquae dilu-
„ via calore medicato animata vulgatis antiſcorbu-
„ ticis praetulerim; ſed vero quibus ventriculi con-
„ tigit mediocre robur, illis etiam acidulae vtut fri-
„ gidae magnam praeſtabunt vtilitatem; nam ſpi-
„ ritus ille volatilis centralis, quo vno animantur,
„ inſtaurandis partium fermentis ſpiritibusque mi-
„ rifice confert, vt ne dicam aquae volatilis diluuio
„ et ſalia imbibi et pituitam ſolui et omnem ſangui-
„ nis fecem ad vrinam aluumque feliciter propel-
„ li.„ Quae quidem omnia idem ille ornatiſſimus
ſcriptor in Theophilo ſuo Bibaculo ſ. dialogo de Kil. 1684.
potu theæ pluribus perſequitur, quocum OLAI BORRI- Hafn.
CHII, viri ſummi, tr. de vſu plantarum indigeno et 1690.
thee ſpecifico conferri meretur.

IX.

Et ſi dicendum quod res eſt, poſt introductam thermopoſiam, et venae ſectionem crebrius adminiſtratam ſcorbutum aut euanuiſſe, aut rariſſimis ſaltem exemplis tyrannidem hodie ſuam exercere, affirmare nullus dubito, quamuis et modum in hiſce ſeruandum eſſe et vſu aquae calidae aut ſimplicis aut variis rebus medicatae nimio et admodum fre-

quenti et purpuram et pruritum vniuerſalem ſimiliaque mala produci poſſe, experientia locuples teſtis ſit. His ſi lactis et ſeri lactis, herbis quoque antiſcorbuticis ebrii, quin et lactis ebutyrati vſum prudentem, demum et blande laxantia diaphoretica cum ſimili regimine et aperientia diuretica addideris, vix quicquam erit, quod in cura ſcorbuti accedente praeſertim congruo regimine et recto rerum quae vocantur, non naturalium vſu iure deſideraueris. Tam paucis et leuibus remediis ſe defunctum in conſilio pro Sereniſſima Suecie Regina ſcripto quod operibus B. TIMAEI A GVLDENKLEE inſertum legitur HERMANNVS affirmat CONRINGIVS „quod ratione firma et longo vſu habeat compertum, non multa non calida, non varia tolerare illud ſcorbuti genus, quo Sereniſſima Regina laborat: Varia ſcilicet humoris ſcorbutici ſunt diſcrimina, neque in multitudine et magno pretio medicamentorum conſiſtit recta curandi ratio, ſed ſaepe in vilium quoque rerum vſu, modo iuſtus et prudens ſit.„ Cum ex aduerſo draſticorum et heroicorum, ſed et ancipitum medicamentorum vſu incongruo et improuido plus ſaepe damni quam emolumenti miſeris aegrotis, teſte triſti experientia inferatur. Huc vero et ſaliuatio ſpectat mercurialis, quam maximo aegrorum damno ab imperitis medicaſtris ſcorbutum a lue venerea minus rite diſcernentibus frequenter adminiſtrari, tum aliunde conſtat tum exmplo lugubri in SELECTIS MEDICIS FRANCOFVRTENSIBVS confirmatur, quibus pulchre

L. III. ep. 30.

Vol. III. To. III. 1.

chre concinit expertus I. G. H. KRAMERVS, his quid expertus ſit, promens verbis: Einige haben die ſa- l. c. p. 82.
„liuations-Cur 1718. zu Belgrad angeſtellet und ge-
„gen 300. arme Leute um das Leben gebracht.„

X.

Ad vltimum de nauigantibus, quibus ſcorbutus quaſi proprius ex cauſis ſupra allegatis eſſe dicitur, quaedam coronidis loco addere iuuabit, verbis quidem ab ERDMANNO KVPITZ in SELECTIS iterum MEDICIS FRANCOFVRTENSIBVS conceptis ſequentibus. „Superficiarias plerumque ſaltem radices agit To. IV. Vol. V. 2. p. 355.
„ ſcorbutus marinus in nauigantium corporibus,
„ quae niſi terreſtri ſcorbuto iam antea infecta fue-
„ rint, a marino ſcorbuto ſub nauigatione con-
„ tracto, ſimplicibus quoque remediis et citra ope-
„ roſiores pharmaceuticos labores praeparatis faci-
„ le curantur. Teſtantur enim itineraria nautica
„ hinc inde, nunc totius nauigii nautici incolas
„ ſcorbuto infectos, et ad continentem appulſos
„ prunorum acidorum forte fortuna ibi in maiori
„ copia inuentorum frequentiori eſu perſecte ſana-
„ tos eſſe: alios alio tempore acetariorum ex coch-
„ learia aut naſturtio aquatico forte fortuna in in-
„ ſula aut continenti repertis paratorum frequenti
„ aſſumtione curatos eſſe: alios malorum aurantio-
„ rum, citriorum aut limoniorum in littore cul-
„ torum fructibus frequenter comeſtis, acceden-
„ te inprimis recentis aquae dulcis ex riuulis cla-
„ ris et ſabuloſis hauſtae vſu conualuiſſe. Haec ita ſe
„ habere fidem facit illud in itinerariis nauticis a-

„ deo

„ deo celebre diuerſorium maris ſiue Inſula St. He-
To. IV. „ lenae. conf. Lexicon hiſtoricum vniuerſale, allgemeines hiſtoriſches Lexicon. Plura qui noſſe cupit de nauigantium valetudine, tum I. R. GLAVBERI L. de conſolatione nauigantium tum W. COCKBVRN
1697. tr. d. morbis nautarum tum DAMIANI SIÑOPEI Pa-
1736. rerga medica de morbis nauigantium, tum C. VA-
Vitemb. TERI elegantem de morbis claſſiariorum et naui-
1715. gantium quam M. W. ab ASPERN Regius hodie Ar-
Erf. 1735. chiater Hafnienſis defendit, tum illuſtris A. N. C. Praeſidis A. E. BÜCHNERI eruditam de tuenda et reſtituenda nauigantium ſanitate diſſertationem euoluat. Inter remedia nauigantibus proficua ſpiritus vini vel ſimplex vel variis artibus praeparatus ipſius quoque BECHERI elogio agmen ducit, qui in phyſica ſubterranea, ſpiritus, inquit, vini in regioni-
p. 368. „ bus putridis, et in ſcorbuto, vbi ſanguis ex nimio „ ſalſo aëre et cibo aceſcit, pro praeſtanti medica„ mento inſeruit, magnaque eius in expeditioni„ bus marinis conſumtio eſt.„ Praeterquam vero, quod ſpiritus vini potus maris accolis quoque noxius contra vulgi opinionem merito habetur in A-
1677. CTIS HAFNIENSIBVS, longe aliam duce experientia
p. 118. ſuggerit de remediis nauticis obſeruationem Medicus quondam Batauus exercitatiſſimus F. DEKKERS, qui poſteaquam Theriacam ceu ſacram nauigantium anchoram paſſim laudauerat in exerci-
p. 579. tationibus practicis, ita pergit: „ Inprimis notan„ dum iudicamus nautis, et qui per mare diu na„ vigant, non tam ſpirtuoſa volatilia, quam acida

„ vel

„ vel ſubacida conuenire imo inter omnia medi-
„ camenta illis proficua oleum vitrioli omnibus
„ palmam praeripere, item poma citria, limona et
„ ſimilia.

S. D. G.

COROLLARIA.

I.

Xenodochia leproſis quondam nusquàm exiſtentibus dicata, adeoque his dudum vacua, hinc ſcorbuticis palantibus excipiendis deſtinata multorum annorum tractn vix vnum alterumque foeda forſan ſcabie laborantem, et vlceribus taboque diffluentem oſtendere valent, manifeſto argumento, ſcorbutum verum affectum hodie eſſe rariſſimum.

II.

Talium xenodochiorum, ptochotrophiorum et ſimilium emendatio ita inſtituenda, vt incolis non tantum de neceſſariis vitae ſubſidiis ſed et de labore cuiuis conuenienti proſpiciatur, optanda dubium an ſperanda ſit.

III.

Morbus philiſtaeis diuinitus immiſſus, I. Sam. V, 6. ſeqq. haemorrhoides coecas denotat.

IV.

Ante diluuiani terrae incolae vitam non aeque ſo-

ſobriam et frugalem, ſicut vulgo exiſtimatur, traxiſſe videntur.

V.

Quando H. Boerhaue 96 caloris gradum ad vitam requiri, audacter affirmat, hocce aſſertum tum aliunde, tum inde manifeſto infringitur, quod in india orientali calor ordinarius tempore meridiano ad 98 gradum aſcendit, quem impune ferunt incolae, obſeruante D. Kriel in litteris ad D. a Bergen. vid. Hamburg. Magazyn To. V. P. III. p. 269.

VI.

Lazarus ante fores diuitis epulonis decumbens Luc. XVI. 20. ſcorbuto non laborauit.